



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Maculæ Solares.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

igni in diem judicii. & paulò post: cali ardentis solventur. Quæstio jam est, an id futurum sit naturaliter, an supernaturaliter? Probabilius videtur, id fore per virtutem agentis creati; tum quia Scriptura cælis & astris absolute corruptibilitatem tribuit, & SS. Patres satis clare id de naturali interpretantur, ut videre est apud Scheinerum; tum quia cæli videntur compositi ex materia & forma, sive ista & illa sit Peripatetica, sive Atomistica: legitur enim in Gen. Cælos ex eadem massa cum reliquis factos: ergo de illis superioribus cum proportionem, sicuti de sublunaribus differendum juxta propria cujusque Scholæ principia. Quod autem componitur, naturaliter resolvi posse videtur, præsertim ubi cessat finis ipsius naturalis.

Id insuper asserendum, formam cælorum non esse animam contra antiquos quosdam Philosophos & Origenem, qui cælos non tantum statuit animatos, sed etiam ratione præditos, vitii aut virtutis capaces. Quam opinionem Justinianus Imperator in suo tractatu adversus Origenis errores Patribus in 5. Synodo generali congregatis proposuit his apud Harduinum verbis: *Præterea hoc quoque Origenis demonstrat amentiam, quod affirmat calum, & solem & lunam & stellas, & aquas, quæ super calos sunt, animata esse, & quasdam esse virtutes ratione utentes; quod refellit S. Basilus.* Huic dementiae subnectitur ex mente piissimi Imperatoris Anathematismus 6. Tum in fine suæ epistolæ hortatur Patres, ut simili modo damnent singula Origenis capita, quod fecisse videntur can. 3. verbis nonnihil mutatis: *Si quis dixerit Solem & Lunam, & astra ipsa quoque, cum ex eadem rationalium unitate essent, ex conversione in pejus facta esse id, quod sunt: anathema esto.* Ratio ulterior est, quia in cælis non deprehenditur operatio vitalis.

Corruptibilitatem cælorum confirmant alii ex eo, quod nostris etiam temporibus magnæ fiant in cælis mutationes, ut illi deducunt ex stellis novis & cometis, de quibus postea; præsertim verò ex maculis solaribus, quæ vix aliter, quam per novas generationes & corruptiones explicari possunt.

Maculæ Solares.

MAculas Solares primus circa annum 1611. detexit P. Scheinerus, postea verò sæpe & à pluribus observatæ sunt, atque etiam ego deprehendi sæpius: sunt autem veluti particulæ nigricantes aut ceruleæ, quæ in ipso corpore Solari & nunquam extra solem apparent: si cum disco Solis per tubum chartâ excipiantur, alios etiam exhibent colores, uti violaceum & rubrum, quanquam colores isti non tam à maculis, quam à radiorum refractione per tubum repetendi videantur, cum moto tubo colorum situs mutetur, & Mercurius infra solem transiens eosdem colores in eo disco præferat. Diversas habent figuras, & præterque sunt quodam quasi fumo aut nubeculâ involutæ: prodeunt subinde è medio solis disco, subinde prope margines primò conspiciuntur: majores communiter apparent in medio, quam prope margines, quia in medio nobis obvertuntur expansæ; prope limbos verò ob solis globositatem videntur oblique: subinde una tantum, interdum plures conspiciuntur; imò P. Scheiner subinde 50. simul conspexit: ab anno 1650. usque ad annum 1670. vix una aut altera observata est: postmodum ferè quotannis una vel plures visæ sunt: in facie inferiori à parte solis orientali versus occidentalem feruntur, ita ut ab uno margine ad alterum impendant ferè tempus dimidiæ revolutionis, totamque revolutionem absolvant cum vertigine Solis diebus 27½. si majores sint, duas aut etiam

etiam tres revolutiones perficiunt, ut observavit D. Cassinus. Moventur circa solis medium, nunquam prope polos: non describunt lineas eclipticæ parallelas, ex quo inferitur axem Solis non esse ad eclipticam rectum, sed inclinatum; unde etiam maculæ pro diverso solis situ diversas vias nobis videntur relegere. Mutant quandoque figuram, imò interdum ex una fiunt plures: mutant quoque colorem, & aliquando præsertim prope limbum abeunt in faculas sole quodammodo lucidiores. Ab observatoribus etiam valde diffitis eodem tempore, & in eodem solis loco observantur: variam habent magnitudinem, quædam terræ majores æstimantur.

Ex quibus circumstantiis patet hujusmodi maculas, nec esse vapores in aëre, nec constantes Solis partes, ut in maculis lunaribus, nec astra minora circa solem errantia; sed probabilius illas de novo generari, & esse veluti solis fuligines, quas sol motu vertiginis secum rapit, quæ deinde variè mutantur, excoquantur, & tandem iterum in substantia Solis absorbentur, eo ferè modo, quo nubes è terra prodeunt, & in terram recidunt.

CAPUT II.

De Systemate Tychonico & Planetarum ordine.

Cum Systema Pythagoræ cælo non congrueret, aliam iniit viam Tycho Braheus Nobilis Danus. Hic ergo fig. 25. terram in centro firmamenti collocat, circa terram proximè movetur luna: deinde in circulo longè remotiore solem moveri supponit, ita ut sol ferè sit reliquorum planetarum centrum, quod clarè apparet in Venere & Mercurio, qui circa solem moventur, & simul cum Sole circa terram. Planetæ verò superiores, si inveniuntur ex parte solis, sunt à terra remotissimi: ex altera verò parte sunt telluri longè propiores. Ubi advertendum est, circa Jovem moveri alias stellulas seu planetas minores quatuor, circa Saturnum quinque, qui satellites Jovis & Saturni dicuntur. Hoc Systema satisfacit phænomenis cælestibus, & communiter admittitur ab omnibus, qui non sunt Copernicani.

§. I.

De Planetis, eorūque motu in longitudinem.

Planetæ præcipui numerantur Septem, quorum nomina præferunt septem hebdomadæ dies, nempe Dies solis, dies lunæ, &c. Eorum natura valde diversa est, hanc explicare conatur P. Fabri per comparationem ad metalla aut mineralia: Solem enim vult esse aurum ignitum, Mercurium quasi argentum, Venerem stannum, Martem ferrum, Jovem cuprum, Saturnum plumbum, & Lunam ex nitro, aliisque salibus compactam, quod ultimum probabile censet Kircherus, de reliquis res valde incerta est, si Solem excipias, quem constat habere naturam igneam ex ejus proprietatibus, hinc canit Ecclesia: *Jam Sol recedit igneus*; inde etiam *Cor mundi* nuncupatur.

De